

TIBULLE *Élégies*, I, 6 (vers 15-34) : L'infidélité de Délie

Le texte est écrit en distiques élégiaques.

At tu, fallacis conjux incaute puellae,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil ;
Neu juvenes celebret multo sermone caveto,
Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.
Exibit quam saepe, time, seu visere dicet
Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.
At mihi, si credas, illam sequar unus ad aras ;
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Saepe, velut gemmas ejus signumque probarem,
Per causam memini me tetigisse manum ;
Saepe, mero somnum peperit tibi, at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te laesi prudens : ignosce fatenti ;

Jussit Amor : contra quis ferat arma deos ?

Ille ego sum, nec me jam dicere vera pudebit,

Instabat tota cui tua nocte canis.

Quid tenera tibi conjuge opus ? Tua si bona nescis

Servare, frustra clavis inest foribus.